

provinciam biennio, extra triennio, et ex causa necessaria quadriennio; quæ dispositio trahi non debet ad resolvenda sponsalia per renuntiationem saltè tacitam.—III. Si reditus sponsi facilis sit, vel difficilis quidem, attamen si cum licentia, seu consensu sponsæ sponsus discessit, tenetur eum sponsa expectare usque ad tempus conventum finiendæ obligationi præfixum: nam ita volenti sponsæ nulla fit injuria.

6.º Lapsu termini, finiendæ obligationi præfixi, solvuntur sponsalia ex parte innocentis; nocens verò tenetur stare sponsalibus (*cap. 22. hoc. tit.*), idque probabilius verum est etiam in casu, quo alter ob moram legitimam, seu impedimentum necessarium non potuit intra terminum implere sponsalia; nam contractus ex conventionem legem accipiunt (*reg. 85. in 6.*); ergò lex seu obligatio sponsalium non porrigitur ultra terminum finiendæ obligationi præfixum.—Nec obstat, quòd impedito tempus non currat (*lib. 1. §. fin. C. de annal. except. cap. 5. de concess. præbend.*); nam licet non currat ad pœnam legalem aut conventionalem, currit tamen ad finiendam obligationem, si intra hoc tempus non fiat, quod ex conventionem faciendum erat. Opposita sententia Sanchez, Pontii etc. non videtur improbabilis pro praxi.—At si terminus præfixus sit tantum *impiendæ obligationi*, eo elapso, manet adhuc obligatio sponsalia implendi; nam terminus hoc modo præfixus respicit solam commoditatem contrahendi, non verò inducit ablationem obligationis. Exempla obvia habes in debitore qui non solvit termino præfixo, in homine fideli qui tempore Paschali non communicavit; nam et iste tenetur deinde communicare, et ille solvere. In dubio, an terminus præfixus sit *finiendæ*, an *implendæ* obligationi, attendendæ sunt causæ et circumstantiæ. Nam si terminus præfigatur ex causa, quia parti grave est diu abstinere à nuptiis, censetur terminus præfigi finiendæ obligationi: si verò terminus præfigatur ex causa, quia videtur esse commodum tali tempore nuptias celebrare, censetur terminus præfigi implendæ obligationi. In casu, quo per utrumque stetit, quominus nuptiæ celebrarentur intra terminum finiendæ obligationi præfixum, tunc ex parte utriusque sponsalia solvuntur; nisi ambo in prorogationem termini consentirent.

7.º Sponsalia resolvuntur pluribus aliis modis, ut:—I. Deficiente, seu non impleta conditione (*cap. 3. de condit. appos.*)—II. Professione religiosa, etiam post biennium in S. J., susceptione S. Ordinis, et probabiliter voto perpetuæ castitatis ut *tit. 6. dicam.*—III. Matrimonio de præsentibus cum alia contracto: tunc enim saltè ex parte innocentis priora sponsalia pereunt (*cap. 31. hoc. tit.*)—IV. Sponsalia ab impubere contracta, solo dissensu in pubertate facto evanescent (*c. 7. de despons. impub.*)—V. Legitima dispensatione Papæ.—VI. Impedimento juris naturalis superveniente sponsalibus, uti est impotentia perpetua, quia tali casu matrimonium est impossibile. At si ex delicto alterius superveniat impedimentum juris Ecclesiastici, v. g. affinitas ex fornicatione cum consanguinea sponsæ in primo aut secundo gradu, tenetur pars delinquens, si potest citra majus suum incommodum et damnum, dispensationem petere et injustè datum obicem tollere.

8. Q. VI. *An auctoritas judicis Ecclesiastici necessaria sit ad dissolvenda sponsalia?*

R. 1.º Si adsit justa causa, et simul notoria, nullo jure requiritur talis auctoritas, sed partes privata potestate resilire possunt. Excipe, nisi speciale aliquod statutum contrarium esset in diœcesi; tunc enim sponsalia præsertim publica, ad evitandum scandalum, necessariò auctoritate Episcopi dissolvenda forent.—2.º Si causa non sit notoria aut certa, v. g. delictum fornicationis, plenè probari debet coràm Episcopo, ne per causam prætextam et incertam tollatur alteri jus certum ex sponsalibus quæsitum. Si tamen pro causa allegaretur impedimentum dirimens, sufficeret judici etiam unus testis, fama, vel propria confessio utriusque, vel unius sponsi (*argum. cap. 2, hoc. tit. cap. 10. de despons. imp. cap. 2. de consang. et affinit.*); nam ubi agitur de vitando periculo animæ, seu de peccato, minor probatio requiritur.

§ II.

De Matrimonio.

9 *Nota I.* Matrimonium, quoad nomen à *matre* et non à *patre* dici, quia in procreatione prolium, ad quam matrimonium ordinatur, magis mater attenditur, quàm pater; cum mater semper sit certa, pater verò incertus, ipsæque proles, ante partum onerosæ, in partu dolorosæ, et post partum laboriosæ matri esse soleant, ut meritò status iste conjugalis matrimonium potius, quàm patrimonium dicatur. Aliter vocatur *consortium*, *conjugium*, et *connubium* seu *nuptiæ*; quia olim sponsæ velo, quasi nube tegebantur ob naturalem pudorem et verecundiam (*Can. 7. et seq. 30. q. 5.*)

Nota II. Matrimonium quoad rem definiri: *Viri et mulieris conjunctio legitima, individuum vitæ consuetudinem continens* (§. 1. *Inst. de patr. potest. lib. 1. ff. de rit. nupt.*) Et quidem, si *conjunctio* accipiatur casualiter seu efficienter, definitio ista competit matrimonio in fieri, prout est actualis contractus, et legis novæ Sacramentum si verò *conjunctio* accipiatur formaliter pro vinculo permanente, data definitio competit matrimonio in facto esse, prout est vinculum viri et mulieris, individuum vitæ consuetudinem continens. Quæ circa particulas hujus definitionis examinari possent, infra dicentur.

Nota III. Matrimonium variè dividi:—1.º In *legitimum*, *ratum* et *consummatum*. *Legitimum tantum* est, quod secundum leges, præsertim naturales, contractum est inter personas idoneas, attamen sine ratificatione Ecclesiæ; et cons. non est Sacramentum, sed purus contractus civilis, sicut sunt matrimonia infidelium (*cap. 7. de divort. Can. fin. v. item illud, 28. quæst. 1.*) *Ratum* est, quod secundum leges Christi contrahitur à baptizatis; et cons. ratificationem Ecclesiæ habet, estque verum novæ

legis Sacramentum. *Consummatum* est, quod per copulam carnalem, quasi integraliter et per modum complementi perficitur.—2.^o In *verum, præsumptum* et *putativum*. *Verum* est, quod re ipsa validè contrahitur. *Præsumptum*, quod ab Ecclesia, seu à jure præsumitur contractum, sicut jure antiquo *cap. 30. hoc tit.* sponsalia per subsequentem copulam præsumebantur transire in matrimonium. *Putativum*, quod putatur legitime contractum: reipsa tamen non est ob latens impedimentum dirimens.—3.^o In *publicum*, quod fit in facie Ecclesiæ, scil. in præsentia proprii Parochi et testium; et *clandestinum*, quod fit clam, absque præsentia Parochi et testium.—4.^o In *solemne*, in quo adhibentur solemnitates civiles, ut pacta dotalia, consensus parentum, solemnis traductio sponsæ in domum sponsi, musica etc.; aliter vocatur *politicum* seu *civile*, et *non solemne*, seu purè *theologicum* aut *Canonicum*, in quo adhibentur ea solùm, quæ de jure Can. necessaria sunt ad nuptias. Sicut autem in matrimonio solemnè ducta vocatur *uxor*, ita in matrimonio non solemnè ducta dicitur *concubina*, licet reipsa sit vera uxor (*Can. 35. et seqq. d. 34.*) Sub matrimonio purè Canonico continetur matrimonium contractum ad morganaticam, de quo infra *tit. 5.*

10. Q. I. *Quid requiratur ad matrimonium, ut est contractus civilis seu purè humanus?*

R. 1.^o Legitimæ personæ, mas et fœmina: cujusmodi sunt omnes homines, qui specialiter non prohibentur. Nam edictum de matrimonio contrahendo est prohibitorium in materia generaliter permissa; ergò. Prohibentur autem ob *defectum judicii* infantes, furiosi, amentes, perfectè ebrii, et probabilius illi, qui à nativitate surdi, muti et cæci sunt, ut supra *num. 3.* dictum. Ob *defectum ætatis* impuberes; senes verò, dummodò apti sint ad actus conjugales, non arcentur à nuptiis jure hodierno: et ideo Justin. *lib. 27. C. de nuptiis* correxit L. Juliam Papiam, quæ senes ultra 60 annos non admittebat ad nuptias. Denique prohibentur à nuptiis omnes illi, qui laborant aliquo impedimento dirimente, aut impediante.

2.^o Ad substantiam matrimonii requiritur consensus reciprocus, quo vir et mulier sibi mutuò tradunt et acceptant corpora in ordine ad actus conjugales. Unde consensus conjugalis explicitè ferri debet in jus reale seu potestatem maritalem, et saltè implicitè in copulam: ita comm. sententia contra Pontium et paucos alios, qui essentialiter matrimonii constituunt in solo consensu seu conjunctione animorum sine ullo consensu in copulam. *Prob. ex Gen. 2. v. 24.* ibi: *Adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una: et 1. Cor. 7. vers. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Idem docet Florentin in *Decr. un. §. septimum*, Tridentin. *Sess. 24. c. matrimonii et c. 1. de reform. matrim.* Ex qua doctrina ita argumentor: matrimonium essentialiter et ex natura sua institutum est ad procreationem prolium et propagationem generis humani: ergò consensus maritalis essentialiter ferri debet in jus et potestatem ad actus conjugales. Sed hoc ipso, quod quis consentiat in

talem potestatem, etiam implicitè consentit in copulam, seu in actus conjugales: nam consentiens in causam, virtualiter et implicitè consentit in ejus effectum; ergò consensus conjugalis, saltè implicitè fertur in copulam: secus non apparet repugnantia, cur inter patrem et filiam non posset matrimonium consistere. Unde S. D. in *supplem. q. 48. art. 1.* docet, consentire in matrimonium idem esse, ac *consentire in copulam carnalem implicitè, non explicitè; non enim debet intelligi, nisi sicut implicitè continetur effectus in causa: quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re sua est causa usus.* El p. 3. q. 29. art. 2. in corp. ait: *omniò verum fuit matrim. Virg. Matris Dei, et Joseph, quia uterque consentit in copulam conjugalem (hoc est in vinculum, seu potestatem conjugalem), non autem expressè in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret.*—An verò consensus maritalis suppleri possit à Deo, dubitatur: affirmantium opinio videtur probabilis, quia Deus, cum in sua potestate corpora hominum habeat, potest virum et mulierem conjugere absque ullo eorum consensu, tribuendo utrique jus mutuam ad usum corporum.

Dices contra superiorem resp.—I. Nuptias non concubitus, sed consensus facit (*lib. 81. ff. de R. J.*), quod etiam docet S. August. *lib. 3. de bono conjug. cap. 3.* et alii SS. PP.—II. In aliis rebus dominium directum separabile est ab utili; ergò etiam in matrimonio potest dari potestas directa sine potestate utendi corporibus.—III. Sufficit, quòd ex parte contractus consentiatur implicitè in copulam, licet non ex parte contrahentium.—IV. Videtur requiri consensus expressus in copulam, quia per matrimonium sunt duo in carne una: unde *Can. 16. et seq. 27. q. 2.* dicitur: *non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commistio secus non docetur fuisse.*

R. *Ad I.* Consensus iste seu conjunctio animorum, non est qualiscumque, sed essentialiter ordinatus ad actus conjugales, qui saltè implicitè continentur in jure maritali.—*Ad II. N. C.* Nam dominium, seu jus maritale per se est potestas utendi corporibus, sine qua nullæ sunt nuptiæ; e contra dominium aliarum rerum per se non est potestas utendi; et ideo in aliis rebus dominium utile separari potest à directo.—*Ad III.* Subtilitas ista videtur inconceptibilis; si enim ex parte contractus consentitur in copulam, necessariò etiam consentitur ex parte contrahentium, qui contractum faciunt.—*Ad IV. N. A. Ad pr.* Duo in carne una dicuntur per hoc, quod alter alterius potestatem habeat. Canones allegati, utpote depravati, qui in fontibus non reperiuntur, nihil probant, nisi per *commistionem sexus* intelligatur *commistio* seu *conjunctio* viri et mulieris in potestatem maritalem consentientium.

3.^o Consensus maritalis debet esse:—I. *Verus* sine fictione; alioquin matrimonium simulatum sine animo contrahendi, coràm Deo est nullum (*cap. 26. h. t.*); et fictè consentiens, utpote alteram partem injustè damnificans, tenetur damna illata resarcire, quod vix alio modo fieri potest, nisi præstando consensum verum; modò non obsit aliquod impedimentum dirimens.—II. *Mutuus* seu reciprocus, quo alter alteri tradat et acceptet

corpus (*cap. 1. de sponsa duor.*)—III. Liber à coactione et metu gravi injusto (*cap. 14. 29. h. t.*)—IV. *Simultaneus*, saltè moraliter, ne interim tempore intermedio ab uno revocetur.—V. *Expressus* ab ipsis contrahentibus: et ideo parentes, licèt pro liberis suis contrahere possint sponsalia, non tamen matrimonium, quod fortiorem obligationem et majora gravamina post se trahit, ut proinde dispositio *cap. unic. §. fin. de despons. impub.*, utpote correctoria juris naturalis, non sit extendenda ad matrimonium.—VI. Consensus matrimonialis debet esse verbo vel alio signo æquivalente extrinsecè manifestatus: tum quia matrimonium est contractus humanus, qui verbis aut signis exterioribus perficitur; tum quia est simul Sacramentum, quod signo visibili seu sensibili constare debet. Decens tamen est, ut personæ loqui valentes consensum suum verbis claris expriment, maximè si aliàs scandalum oriretur, vel dubium de valore matrimonii Hoc, et non plus colligitur *ex cap. 25. hoc tit. c. 3. de spons. duor.* Interpreti, quo mediante, contrahitur, integrè credendum est, cùm sit communi contrahentium voluntate electus.

11. Q. II. *An, et quod matrimonium sit Sacramentum?*

R. 1.º Matrimonium fidelium in lege Christi est verum Sacramentum: ita contra Sectarios definitum est in Conc. Florent. in *decret. un. §§. 5.º et 7.º Trident. Sess. 7. Can. 1 de Sacram. et Sess. 24. Can. 1.* Quæ definitio fundatur in perpetua traditione à Christo Domino accepta, et in verbis Apostoli *Ephes. 5 in fin. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Ratio est, quia, ut docet Trident. (*cit. Sess. 24 in doctrina de sacr. matrim.*), matrimonium confert gratiam, quæ naturalem conjugum amorem perficit, indissolubilem unitatem confirmat, conjugesque sanctificat, et ad sustinenda onera matrimonii corroborat; ergò. Videtur autem hoc Sacramentum institutum, vel illo tempore, quo Christus nuptiis interfuit (*Joan. 2*), vel dum, sublato libello repudii, voluit matrimonium esse insolubile; vel completè post Resurrectionem suam, dum multa locutus est de regno Dei seu statu Ecclesiæ: *Actor. 1*—His non obstat *cap. 3 de Presbyt. non baptiz.*; nam ibi dicitur, quòd aliqua, quæ in Ecclesia sunt Sacramenta, ab infidelibus morè profano et materialiter recipi possint, ut Eucharistia et matrimonium in ratione contractus civilis.

2.º Essentia metaphysica Sacramenti matrimonii consistit in conjunctione maritali, significativa, et collativa gratiæ; physica verò in materia et forma. Et quidem corpora conjugum sunt materia remota; proxima verò est consensus externus, ut habet vim traditionis; forma autem est idem reciprocus consensus, ut habet vim acceptationis determinantis traditionem seu materiam. Denique ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, non verò Sacerdos: ita vera sententia contra Canum: nam ille est minister matrimonii, qui illud efficit; sed ipsi contrahentes efficiunt Sacramentum matrimonii, quia per *cit. Flor. §. septimum, causa efficiens matrimonii est mutuus consensus: Sacerdos verò est tantum testis ab Ecclesia deputatus, qui benedictionem conjugibus impertit; ergò, tum qui ante Trid. matrimonium fuit, Sacramentum, et tamen absque Sacerdote contrahi potuit (Trid. Sess. 24. c. 1 de ref. matr.)*

3.º Matrimonium est Sacramentum transiens, seu consistens in actuali usu; non verò permanens, sicut Eucharistia: ita Bosco, Schmier (etc. contra Sanch., Laym. et alios. Nam Sacramentum novæ legis est signum practicum ex opere operato collativum gratiæ; sed talis gratia confertur conjugibus in ipso actuali contractu, non verò ex opere operato in ipsa copula carnali, ut communis docet ex *Can. 4. connubia 32. q. 2.* ibi: *non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur;* ergò. Ex quo patet disparitas à Sacramento Eucharistiæ, quæ in usu sui sanctificat ex opere operato.

Dices: Matrimonium semper significat insolubilem unionem Christi cum Ecclesia; ergò semper est Sacramentum.

R. Significatio ista speculativa non competit præcisè ex eo, quia Sacramentum est; aliàs etiam competeret matrimonio rato; sed ex eo, quia matrimonium, quod susceptum fuit ut Sacramentum, per copulam consummatum est. Ut verò quid sit propriè Sacramentum, debet esse signum practicum significativum gratiæ.

4.º Matrimonium fidelium non est duplex, sed unicum Sacramentum; nam inter duos unicus est contractus, ad rationem Sacramenti elevatus; ergò et unum Sacramentum. Unde si ex dispensatione Apostolica fidelis contraheret cum infideli, sicut S. Monica cum Patritio patre S. Augustini, Clotildis cum Clodovæo Francorum Rege, probabilius ex parte neutrius est Sacramentum; nam cùm sit unum Sacramentum, unusque contractus, deberet esse totum, seu unum in utroque; sed in infideli non potest esse Sacramentum; ergò nec in fideli.—Nec obstat textus ex *1. Cor. 7. v. 14.*; nam vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, non sanctitate sacramentali, sed legali seu legitima, quatenus proles legitimæ sunt; item externa et occasionali, quia ex cohabitatione datur occasio conversionis ad fidem.

5.º Matrimonium conversorum ad fidem non transit in Sacramentum propriè tale: ita Bosco, Schmalz. contra Sanch. etc. qui volunt transire ipsa baptismi susceptione, et contra Bellarm., Laym etc. volentes transire, dum prior consensus post baptismum renovatur. *Prob. ex dictis, quia actualis contractus matrimonii elevatus est ad rationem Sacramenti; sed contractus iste non fit tempore baptismi, neque post baptismum, cùm supponatur factus in infidelitate; ergò.*

Dices: Juxta S. D. in 4. d. 39. q. un. a. 3. ad. 1. infidelium matrimonium est Sacramentum non actu, sed habitu, seu aptitudine, et post baptismum fit ratum.

R. S. D. loqui de Sacramento, non strictè et propriè, prout est signum practicum collativum gratiæ, sed latè, prout est signum speculativum significans insolubilem unionem Christi cum Ecclesia; cujusmodi signa sunt omnia matrimonia consummata fidelium.

6.º Fideles, etiam post Tridentinum, contrahere possunt per procuratorem matrimonium in ratione Sacramenti; ita com. contra Durand., Can. etc.; nam matrimonia à fidelibus contracta sunt Sacramenta, ut definit Flor. et Trid. *II. cit.*; sed matrimonia contrahi possunt à fidelibus per

procuratorem (*c. fn. de Procur. in 6.*), cujus dispositio non adversatur Tridentino, cum procurator nomine principalis contrahere possit coram Parocho proprio et testibus; ergo. Idem dic de litteris continentibus consensum matrimonialem; quia et istæ litteræ exhiberi possunt Parocho et testibus, et coram eis reciprocos consensus dari. Ceterum, ut tale matrimonium valeat, requiritur in procuratore speciale mandatum, quod propter arduitatem negotii submandari non potest: et ne interim principalis tempore intermedio suum consensum revocet (*cit. cap. fn.*)

Dices: Pœnitentia, Ordo et alia Sacramenta, non possunt suscipi per procuratorem; ergo nec matrimonium maxime cum principalis eo tempore, quo contrahitur, possent dormire, et nihil cogitare de matrimonio.—II. Consensus matrimonialis est personalissimus; ergo suppleri non potest per procuratorem, sicut nec consensus tutoris.

R. Ad I. N. C. Nam cetera Sacramenta non imitantur naturam contractus, neque in eis verificaretur forma: *ego te absolvo etc.* Econtra matrimonii Sacramentum sequitur naturam contractus, nec habet formam determinatam per certa verba, cum sufficiant quæcumque æquivalentia signa. Illa autem verba: *ego vos copulo*, sunt cœrmonia accidentalitatis, et verificari possunt hoc sensu: *ego vos nomine procuratorio contrahentes copulo*. Quod principalis eo tempore dormiat, non officit, quia consensus ipsius moraliter perseverat in mandato, et dormiens, modo aliunde impeditus non sit, gratiam recipere potest.—*Ad II. D. A.* Est personalissimus per exclusionem procuratoris, *N. A.* Per exclusionem alterius, qui sine mandato speciali contrahat, *C. A.* Quod tutor substituere sibi nequeat sultatorem, specialiter à jure introductum est favore pupillorum, cum datio tutoris legi reservatur; quod jus et ratio non currit in contrahentibus matrimonia.

7.^o Fideles contrahendo validum matrimonium, non possunt rationem Sacramenti separare à contractu matrimoniali: ita Petr. de Ledesm., Laym., Sanch., Schmalz., et alii, quorum sententia mihi videtur probabilior, licet aliquando oppositam defenderim cum Gonet. Vasq., Dicastill. etc. *Prob. ex cit. Flor. §. septimo*, et Trid. *sess. 24. Can. 1.*, ubi generaliter et indistinctè matrimonium fidelium dicitur esse verè et propriè Sacramentum: sed hæc definitio conciliaris non esset vera, si aliqua matrimonia validè à fidelibus contracta non essent Sacramenta; ergo omnia sunt Sacramenta: vel si Sacramenta non sunt, neque sunt vera matrimonia. Ratio est, quia Christus matrimonium in ratione contractus validum elevavit ad rationem Sacramenti, seu voluit esse Sacramentum, et cons., conditionem ei appossuit, ut, si fideles validè illud contrahere velint, contrahant illud modo christiano cum ratione Sacramenti; non verò more ethnico in ratione puri contractus; ergo matrimonium à fidelibus contractum semper est Sacramentum; vel si hoc non est, neque est validum matrimonium: tum quia non est credibile, Christum Dominum in arbitrio fidelium reliquisse, ut pro placito suo matrimonia contrahant cum, vel sine ratione Sacramenti.

Dices:—I. Juxta Florentin. intentio est necessaria ad valorem jusque Sacramenti; sed contrahentes matrimonium possunt habere

positivè contrariam intentionem non conficiendi Sacramentum, maxime si sint hæretici, negantes matrimonium esse Sacramentum.—II. Christus elevando res ad Sacramenta, non sustulit naturam physicam vel moralem illarum; ergo neque sustulit valorem matrimonii in ratione contractus.—III. Ex nullo jure constat, quòd conditio Sacramenti annexa sit matrimonio fidelium modo irritativo, ut matrimonium secus contractum sit nullum in ratione contractus.

R. Ad I. Fideles, uti et hæretici habent generalem intentionem contrahendi matrimonia more christianorum, et cons. in ratione Sacramenti; cui intentioni non prævalet privatus error, quo cogitant, vel matrimonium non esse Sacramentum, vel illud à se non contrahi in ratione Sacramenti. Quòd si autem nec generalem intentionem habeant contrahendi more christianorum, sed contrahere velint more ethnicorum, tunc quidem, fateor, non conficiunt Sacramentum ex defectu intentionis, ut sanior TT. sententia tenet, sed neque conficiunt matrimonium in ratione contractus validum: tum quia non observant conditionem à Christo annexam; tum quia sequeretur, talem contractum non esse Sacramentum ex doctrina adversariorum, et esse Sacramentum ex doctrina Conciliorum docentium omne matrimonium à fidelibus contractum validè, esse Sacramentum, cum Christus matrimonium in Ecclesia validum elevaverit ad rationem Sacramenti. Sicut ergo in lege Christi repugnat, ut matrimonium ponatur validum in ratione Sacramenti, et invalidum in ratione contractus, ita quoque repugnat, ut matrimonium ponatur validum in ratione contractus, et invalidum in ratione Sacramenti; cum ista duo Christus inseparabiliter conjunxerit (*Sanch. l. 2. de matr. disp. 10. in fn.*).—*Ad II.* Nihil quidem sustulit, sed tamen annexit conditionem Sacramenti, ut contractus iste validus esset Sacramentum; ergo si fideles volunt contrahere validè, debent etiam velle conficere Sacramentum. Sic ordinatio clericorum, si non valet ut Sacramentum, neque valet ut actus civilis deputans ad ministeria clericalia. Unde phrasit ista: *Christus non immutavit naturas rerum ad Sacramentum elevatarum*, sanè est intelligenda, quòd scil. ratio Sacramenti non destruat, sed elevet essentias rerum; non verò quod ea, quæ attento jure naturali validè fierent, etiam validè fiant in Ecclesia Christi sine ratione Sacramenti, ut probari potest per omnia Sacramenta. Sic etiam Tridentinum irritando matrimonia clandestina, non sustulit naturam matrimonii, sed determinavit; et tamen hodie matrimonia clandestina sicut non valent in ratione Sacramenti, ita neque valent in ratione contractus.—*Ad III.* Eodem jure, quo constat matrimonium validum elevatum esse ad rationem Sacramenti, etiam constat per necessariam consequentiam nullum in Ecclesia Christi matrimonium validè contrahi, quod non sit Sacramentum. Vel adversarii ostendant exceptionem, aut dicant Concilia temerè loqui, dum sine exceptione definiunt matrimonia fidelium, utique valida, esse verè et propriè Sacramenta; quæ definitio non esset vera, si vel unum matrimonium validè à fidelibus contractum, non esset Sacramentum.

Dices: Valida est baptizatio physica, etsi non sit Sacramentum; ergo

etiam validus est contractus matrimonii, etsi non sit Sacramentum.

R. Istam paritatem non esse ad rem: nam baptizatio non elevatur ad lavandum corpus, sed ad lavandam animam à peccatis: sine ratione autem Sacramenti aqua nec physicè, nec moraliter lavat animam: et similiter matrimonium in lege Cristi, sine ratione Sacramenti moraliter non ligat animam, licet physicè ponatur consensus internus et externus, sicut physicè ponitur baptizatio corporis, in quo paritas ista currit, non verò in valore, de quo loquimur: secus etiam ordinatio sacerdotum, de jure naturali sufficiens, sine ratione Sacramenti sufficeret ad sacerdotium novæ legis christianæ, quod unicè volunt Sectarii.

42. Q. III. *Qui sint effectus et proprietates matrimonii?*

R. Seqq.:—1.º *Vinculum conjugale*, quod ex natura sua relativum est, dicens habitudinem mariti ad uxorem, et econtrà, (S. D. in supplem. q. 44. art. 1.) Et per tale vinculum ex mutuo maritali consensu resultans, constituitur matrimonium in facto esse, seu status conjugalis ex natura sua continens individuam vitæ societatem; ac proinde vinculum istud ab intrinseco, ex natura sua, seu de jure naturali est indissolubile, ut infra dicam *tit. de divortis*.—2.º *Bonum fidei conjugalis*, seu *jus maritalis*, aut mutua potestas in corpora, vi cujus conjuges obligantur mutuam amicitiam et amorem sibi exhibere, communiter in eadem domo habitare, communi mensa et thoro uti, debitum sibi reddere, et nulli extraneo commisceri vel copulari per nuptias; et ideo de jure naturali contrahunt impedimentum *ligaminis* dirimens alias nuptias. Quæ omnia expressit Deus *Gen. 2. vers. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adheret uxori suæ, et erunt duo in carne una*: eademque inculcat Apostolus *1. Cor. 7. Ex mutuo tamen consensu jura ista restringi vel remitti possunt, quatenus subjacent potestati conjugum, ut jus cohabitandi, exigendi debitum, modò absit periculum incontinentiæ*.—3.º *Bonum prolis*, quæ sit legitima, ali et christianè educari debet à parentibus.—4.º *Bonum sacramenti*, vi cujus conjuges recipiunt gratiam sanctificantem cum jure ad specialia auxilia benè et sanctè vivendi in hoc arduo statu, ejusque onera sustinendi. Quòd si conjuges in peccato mortali contrahant matrimonium, peccant gravi peccato sacrilegii: juxtà nonnullos duplici, vel uno æquivalente duobus, quatenus indignè sibi administrant et recipiunt sacramentum: probabile tamen est, quòd remoto obice, gratia matrimonii eis conferatur, cum Sacramentum matrimonii virtualiter perseveret in vinculo conjugali; atque ità capax sit suum producere effectum. Ex bono sacramenti, quatenus ordinati ad consummationem matrimonii, oritur etiam absoluta et omnimoda indissolubilitas, ità ut matrimonium consummatum nulla potestate humana, etiam Summi Pontificis dissolvi possit; quia Christus Dominus voluit unionem suam indissolubilem, quam habet cum Ecclesia per carnem, significari per matrimonium consummatum, ut docet *Apost. Ephes. 5. v. 32. Trid., sess. 24. in doctr. de sac. matrim. et Can. 5. et 7.* Et hi sunt præcipui effectus matrimonii utrique conjugum communes: speciales autem effectus ex parte mariti sunt: *potestas maritalis*, vi cujus maritus est caput uxoris, quæ non ut ancilla, sed ut socia subordinata, tenetur marito

obedire in his, quæ pertinent ad curam domesticam, et rectam familiæ administrationem: item *potestas patria* respectu liberorum, de qua fusè agunt Civilistæ. Ex parte uxoris speciales effectus sunt, quòd uxor coruscet radiis mariti, participando ejus nobilitatem, dignitatem, privilegia iori, sessionis, immunitatis, domicilii etc. de quibus consule *C vi istas*.

43. Q. IV. *Quid juris circa petitionem et redditionem debiti?*

R. 1.º Obligatio reddendi debitum, si ab altero conjugum petatur, ex genere suo est gravis, regulariter sub mortali obligans, nisi justissima causa excuset (*1. Cor. 7. v. 3. Gen. 2. crescite, et multiplicamini*); nam obligatio ista est justitiæ orta ex contractu matrimoniali graviter obligatorio. At *petere debitum* per se neuter conjugum obligatur; quia nemo obligatur jure suo uti. Per accidens, si altera pars ex verecundia non petat, ad removendum periculum incontinentiæ, saltè ex charitate obligatur alter ad petendum debitum; quia tunc petere, moraliter est reddere debitum.

2.º In dubio de valore matrimonii, eadem observantur, quæ in dubio dominiorum, possessionum et similium jurium. Et quidem:—I. In dubio positivo, dum pro et contra adsunt rationes probabiles, uterque licitè petit et reddit debitum: nam ob rationem solùm probabilem neuter privatus est commodo possessionis: et aliunde opinio verè probabilis de valore matrimonii contracti excludit periculum fornicationis formalis.—II. Qui bona fide contraxit matrimonium, et superveniente dubio, incipit dubitare de valore illius, si adhibita sufficienti diligentia, veritatem comperire nequeat, deposito hoc dubio speculativo, licitè petit et reddit debitum; nam ob superveniens dubium non debet deturbari ex possessione bona fide acquisita; Reiff. Theolog. moral. tract. 4. dist. 13. num. 84. cum aliis ibi cit.—III. Si unus bona, et alter mala fide contraxit, veritate non comperita, bonæ fidei conjugum debitum petere potest ob rationem mox datam: at malæ fidei conjugum, qui suspicionem habens de impedimento latente mala fide matrimonium contraxit, debitum petere non potest; quia ex contractu malæ fidei non acquisivit jus petendi et utendi; reddere tamen debitum debet, ut communior docet contra Sotum, quia conjugum bonæ fidei non debet privari jure et commodo possessionis ob malam fidem alterius, donec probetur matrimonium esse nullum. Si verò uterque mala fide contraxit, neuter petere et reddere potest debitum, ob eandem rationem: quo sensu procedit *cap. 44. de sentent. excom.*—IV. Si uterque dubitare incipit de valore matrimonii bona fide contracti, probabilius ante sufficiens examen, neuter licitè potest reddere aut petere debitum: ità Sanch. et alii contra Cordub., Henriq. etc. docentes licitum esse reddere, sed non petere; nam possessio dubia, non præmissa sufficienti investigatione veritatis, non tribuit jus utendi, sed deficiente tali jure, alter nec tenetur, nec potest dare usum corporis; ergò.—Nec est paritas à conjugum legato per votum castitatis; nam talis in materia justitiæ habet jus exigendi debitum, licet peccet in materia Religionis; et cons. altera pars licitè ei reddit debitum.

44. Q. V. *Quis parentum teneatur alere proles?*

R. 1.º Pater mox à natiuitate; imò existentibus in utero tenetur provi-

dere de alimentis: ita verior sententia ex *lib. 5. §. 4. et seqq. ff. de agnoscend. et alend. liber., et lib. 8, eod.,* ubi onus alendi liberos generaliter attribuitur patri, *et lib. 5. ff. de ventre in poss. mitt.,* ubi JClus. ait; *curator ventris alimenta mulieri statuere debet; quia videntur, quæ ita præstantur, ipsi præstari, qui in utero est.*—Nec obstat *lib. 9. Cod. de patria potest.,* ex qua nonnulli volunt matrem obligari usque ad triennium alere proles; nam lex ista, ut bene advertit Lauterbach, Schmier, et alii, procedit de alimento lactis et cura infantis: non verò de aliis alimentis, quæ etiam in utero existenti pater præstare tenetur. In defectu patris ad alendos liberos obligantur ejus ascendentes; et tandem mater (*cit. leg. 5. §. 2. et 4. ff. de agnoscend. liber.*) Si verò liberi aliunde sufficientem sustentationem habeant, excusatur pater ab eorum sustentatione; uti etiam si ingratitude delictum in patrem committant (*lib. 5. §. 7. et 11. eod.*) Porro nomine alimentorum venit victus, vestitus, habitatio, medicamenta et cetera, quibus tuendi curandive corporis nostri gratia ulimur (*l. 44. ff. de V. S.*) Et quamvis de jure civ. *Nov. 89. cap. 15. Auth. Ex complexu C. de incest. nupt.* prohibeantur alimenta dari spuris, seu ex damnato coitu natis, hoc tamen correctum est per jus *Can. cap. 5. de eo qui duxit,* ubi jubentur tales liberi sustentari, cum juri natura i contrarietur prolem, quæ non deliquit, ab alimentis parentum arceri.

15. Q. VI. *An matrimonium sit in præcepto?*

R. Respectu communitatis humanæ est in præcepto; non verò respectu singulorum hominum. Ratio primi, quia Deus præcepit speciem humanam propagari, et ita conservari; *Gen. 2. Crescite et multiplicamini;* ergò hoc præceptum afficit communitatem generis humani: et ideo in casu necessitatis posset is, qui communitati præsidet, aliquos cogere ad matrimonium. Ratio secundi, quia non est necesse ad conservationem generis humani, ut singuli matrimonio jungantur: imò hodie, dum terra repleta est hominibus, expediet ut cælum repleatur virginibus.

16. Q. VII. *An concubinitus, in quo unicus cælebs unica cælibi jungitur absque contractu maritali, sit licitus?*

R. Negativè; nam licet olim jure civili permissus fuerit, jure tamen naturali, divino et Canonico damnatur, cum foveat peccatum mortale tanto gravius et perniciosius, quanto concubinitus est diuturnior (*Can. 6. audite d. 34. Can. 11. meretrices 32. q. 4.*) Unde concubinari, donec deserant occasionem proximam peccandi, non sunt absolvendi in Sacramento pœnitentiæ, de quo plura *Trid. Sess. 24. c. 8. de reform. matrim.*—Nec obstat *Canon 4. cum seq. d. 34.*; nam loquitur de uxore ducta sine solemnitatibus civilibus, quæ in sacris litteris et in jure sæpe dici solet concubina, licet reipsa sit vera uxor.

§. III.

De Impedimentis Matrimonii.

17. Cùm in matrimoniis maximè spectanda sit honestas (*l. 42. ff. de ritu nuptiar.,*) rectè jus induxit certa impedimenta seu obstacula moralia, quibus certa matrimonia ob quamdam indecentiam iniri vetantur: et de his in præsentia.

18. Q. I. *An d. etur in Ecclesia, et penes quem resideat potestas inducendi impedimenta matrimonii?*

R. 1.º Potestas ista datur in Ecclesia: ita sub anathemate definiit *Trid. Sess. 24. Can. 4.*; nam præscribere formam contractui, ad rationem sacramenti elevato, non excedit potestatem Ecclesiæ, cùm Christus Dominus hoc ipso, quòd non determinaverit, qui contractus matrimonii sit legitimus, censatur talem determinationem specificam reliquisse arbitrio Ecclesiæ; ergò.

2.º Potestas inducendi impedimenta dirimentia matrimonii residet in solo Papa: ita com. ex continuo usu Ecclesiæ; nam negotium istud circa talia impedimenta est unum ex gravioribus, ergò meritò reservatur Sedi Apostolicæ. Unde Prælati Papa inferiores, licet ex justa causa interdicerent possint matrimonia, seu aliqua impedimenta impediendi statuere, non tamen dirimentia; cùm potestas ista nullo jure sit eis attributa.

3.º Princeps politicus, sive fidelis, sive infidelis, non potest fidelibus statuere impedimenta dirimentia matrimonii; bene verò infidelibus sibi subjectis ita com. cum *S. D. in 4. d. 42. art. 2. ad 4. 1.* Ratio primi, quia contractus matrimonii propter conjunctionem cum sacramento, est res spiritualis subducta à potestate politica, et attributa soli potestati Ecclesiasticæ, (*Trid. Sess. 24. Can. fin.*) neque fideles in contrahendis matrimoniis subduntur Regibus, sed Pontificibus; ergò. Ratio secundi, quia matrimonia infidelium sunt purus contractus humanus et civilis, cui Princeps certam formam præscribere potest; ergò, et impedimenta statuere, quorum plura videre est *tit. ff. de ritu nupt.*

4.º Consuetudine induci et abrogari possunt impedimenta dirimentia matrimonii, etsi consuetudo ista non sit expressè approbata à Papa: ita communior ex *reg. generali cap. fin. de consuetud.,* ubi approbatur omnis consuetudo rationabilis et legitimè præscripta; sed consuetudo, qua inducuntur, vel abrogantur impedimenta solo jure Ecclesiastico dirimentia matrimonium, potest esse rationabilis et legitimè præscripta, seu legitimo tempore durans, sicut *cap. 1. et 3. de cognat. spirit.* jubetur observari consuetudo circa impedimentum cognationis spiritualis; ergò. Ex hoc capite multi DD. præsertim Germani, docent matrimonia hæreticorum in Germania, quæ contracta sunt cum solo impedimento juris Ecclesiastici esse valida, quia leges connubiales, saltè quod vim irritativam, abrogant, tæ videntur per contrariam consuetudinem, quæ in his circumstantiis re-